

tuæ imponantur, ad eorum imaginem, quantum industria fert artificis, accedentes, tum census annuus, & certi homines deputantur, qui perpetuos odores, & semper viventes lucernas accendant. Eam ad rem ingentia ex æte campano thuribula statuuntur, ad eundem ritum, quo ipsi sua idola venerantur. Sed hunc tamen cultum à Numinis latria norunt separare: nam à Diis multa petunt, his urbanos tantum ritus in beneficiorum memoriam periti exhibent. nihil tamen dubium, quin è vulgo plures cultum utrumque permisceant. Ad hæc templa (quorum plenæ sunt omnes urbes, quæque sæpe amicorum studio indignis etiam eriguntur) certis temporibus itur, inclinationes & genuflexiones exhibentur, edulia offeruntur, aliaque huiusmodi peraguntur.

Omnes Sinarum libri, qui de moribus agunt, toti sunt in exci-
tandis